

Duabus ergo partibus haec nostra tractatio continebitur. Prior erit de Creatione, in qua disputabitur tum de iis quae generatim spectant ad creationem, tum de praecipuis creaturis, Angelo scilicet ac Homine, ratione habita tantum ordinis naturalis. Qua in re monemus quod cum de huiusmodi rebus in Philosophicis quoque Institutionibus quoad fieri licuit disputaverimus, heic censuimus nobis integrum esse quaedam supponere et ad superius tractata lectorem reicere. Altera pars erit de Elevatione naturae ad ordinem supernaturalem, in qua primum essentia boni supernaturalis declaranda et asserenda erit, tum demonstrandum erit factum elevationis utriusque naturae, humanae videlicet et angelicae ad illum ordinem: quae quidem elevatio in ipsa creatione facta est. Nequit vero completa censi ista tractatio, nisi et de primitivo lapsu utriusque naturae ac praesertim humanae disseratur; nam ad perfectam intelligentiam tum essentiae bonorum supernaturalium tum facti elevationis plurimum conducit notitia amissionis eorundem bonorum ac praesertim ea quae facta est in universa natura per peccatum protoparentis. Et hoc pacto via munitur ad tractationem de restitutione ordinis supernaturalis facta per Mediatorem Christum, atque de eiusdem Gratia, quae peculiare tractatus sibi vindicant. Quoniam vero qui de lege aliqua agit, eundem et de exceptione, siqua contingat, agere oportet; adiiciendam duximus tractationem de Immaculato Deiparae Conceptu, quam nefas profecto est theologo praeterire. Ita fiet ut cuius auxilium opus est coeptum, eiusdem laudibus absolvatur.

PARS I.
DE CREATIONE

CAPUT I.

DE CREATIONE GENERATIM.

ARTICULUS I.

DE IPSA RERUM OMNIUM EX NIHILO PRODUCTIONE

§. 1. DE CAUSA EFFICIENTE CREATIONIS.

Thesis I.

Ad notiones catholicas spectat conceptus creationis, quae est productio rei ex nihilo eorum omnium quae ad eiusdem rei constitutionem spectant.

I. Conceptum proponimus *creationis*; non disputamus scilicet de eiusdem existentia aut possibilitate, sed solum quaerimus quid *creationis* nomine intelligendum sit; versamur proinde in prima mentis operatione, quae est apprehensio rei, non in altera qua iudicatur an res sit vel non sit. An forte quis monebit definiti non posse creationem nisi eius possibilitate supposita? impossibile enim concipi nequit. Verum reponimus 1. quod et ipsa quaestio de possibilitate rei supponit notionem rei, cuius possibilitas quaeritur: scilicet 2. potest haberi conceptus quidam rei ex synthesis idearum ita ut ea synthesis vel sit iuxtapositio tantum idearum in mente, vel realem exhibeat formalitatum expressarum unitatem in aliquo subiecto. Utra ea sit diiudicandum est cum quaestio de possibilitate agitur. Verum quidem est quod cum aliquid immediata evidentia apparet impossibile, sicut illud vere concipi nequit, ita nec eiusdem dicitur esse aliqua definitio, at cum rei repugnantia immediate non est evidens, etsi reapse repugnet; sicut notio eiusdem, quae non est vere nisi quaedam iuxtapositio idearum, haberi potest a pluribus ut vera definitio nondum cognita eius impossibilitate, ita et tali appellatione insigniri solet, ut dicatur definitio: definitio scilicet rei quae conci-

pitur: quae quidem definitio an sit obiectiva disputabitur postea. Ita modo definimus creationem: exhibemus scilicet distinctum conceptum rei quae solet concipi ab omnibus cum concipitur et dicitur creatio.

Creatio active spectata est in genere actionis quae effectio vel productio appellatur, fit enim aliquid per creationem. Non una est autem species quae sub hoc genere effectiois concipi potest. Nam species quaedam certe est productio alicuius effectus ex aliquo praeesistente, quod quidem duplici modo contingit. Etenim vel generatim agens ad extra novos modos novamque formam materiae inducit; et talis actio aut retento communi nomine generis dicitur effectio, aut pro diversa ratione effectus vocatur fictio, plasmatio, fabricatio, etc. Vel speciatim agens vivum materiam in se et ex se ipso existentem ita modificat ut sibi secundum speciem tandem producat; et haec productio proprio nomine nuncupatur generatio. Altera species productionis est vel concipi potest productio alicuius effectus ex nulla re praeesistente, quam creationem vocamus, et mox explicaturi sumus. Ne qua vero sit difficultas ex terminis, pendere quod quamvis operationes supradictae differentes sint, earumque ideas mens nunquam confundat; atamen nec latinis, nec graecis praesto sunt vocabula, quibus una significatio rata sit et fixa ita ut pro aliis quoque significandis nunquam usurpentur. Confer verba latina facio, condo, gigno, creo, quibus graeca respondent ποιεω, δημιουργεω, γεννω, κτιζω. Liquei verba creo et κτιζω penes profanos veteres scriptores usurpata fuisse de ea operatione quae ex subiecto aliquid facit, non vero de excellentiore aliqua operatione, quam vel ignorarunt, vel reiecerunt. Iure tamen aliquod vocabulum in significatione communi effectiois adhibitum a veteribus, potuit deinceps determinari ad aliquod speciale significandum, quod licet veteribus ignotum, verum tamen sit, et quod pro sui singularitate exigit speciale signum. Huiusmodi est usus vocabuli creatio in Ecclesia latina pro certa operatione Dei significanda. Iam vero conceptus rei hoc vocabulo significatae declarandus nobis est.

II. Itaque creatio ponitur sub genere effectiois, quia fit aliquid per eam. Quid igitur est creatio? Illud certe esse dicenda erit quod generaliter omnes concipiunt cum apprehendunt et nominant id quod nos vocamus creationem. Hoc enim est tandem quod quaeritur cum quaeritur: quaenam sit notio, quinam conceptus proprius creationis. Iam vero sollemnis est formula penes graecos sive profanos scriptores (cf. Aristotelem I Phys. c. 4. n. 3.) sive sacros omnibusque probata, cum de conceptu solum agitur, qua creatio dicitur productio rei ἢ ὄκ ὄντων ex non exstantibus. Cuius formulae vis haec

est: cum ante productionem rei nihil praeesistit eorum quae ad constitutionem rei spectant, talis res producitur ex non existentibus; ea-que dicitur creatio, quae proinde definiri potest: productio rei ex nihilo eorum omnium quae ad eiusdem rei constitutionem spectant. Quando enim aliquid praecessit, quod proinde non fiat ex productione qua res fit, non est haec creatio; eo quod illa res non fiat ex nihilo sed ex aliquo: res enim dicitur fieri ex omni eo quo constituitur. Ita Vasquez in 1. p. q. XLV. D. 472. c. 3.

Porro id quod ad constitutionem rei spectat et ex quo praeesistente aliquid fit, est subiectum effectus qui in illo et ex illo fit. Dicimus: ex quo praeesistente aliquid fit: si enim non praeesistit, operatio efficiens nullum subiectum habet; nam nihil supponit in quo et ex quo operetur, etsi cum effectus sit compositus, eius subiectum ex quo dici possint partes, quibus constat: sic si fieret homo non praeesistente eius materia et anima, nullum esset subiectum operationis, vere tamen ipse diceretur fieri ex materia et spiritu, his enim constituitur. Quamvis autem non omnia praeesistant quae pertinent ad constitutionem rei sed aliquid tantum, iam adest subiectum aliquod operationis; etenim ex illo fit effectus. Itaque ea prior definitio ad hanc quoque redit: productio rei ex nihilo subiecti ὄκ ἐκ προουπαμενης ὄλης.

Dubitatio quidem oriri potest an utraque definitio in idem redeat: cuius dubitationis causa foret sententia quaedam philosophica. Pone enim formas eas esse quae dicuntur non subsistentes, atque fac accidentia aliqua esse quid realiter distinctum a substantia cui insunt, habentia proinde propriam entitatem distinctam ab entitate substantiae ita ut divina saltem virtute existere valeant ab ea separata; si hae formae aut haec accidentia fiant iam existente subiecto, ipsa dicenda quidem forent fieri ex nihilo eorum quae ad ipsorum constitutionem spectant, atamen non fierent ex nihilo subiecti, non solum quia subiectum praeesistit, sed etiam quia subiectum, ut dicitur, modo suo ad eorum productionem concurrat; quemadmodum enim ipsa a subiecto pendunt eum sunt, ita ab eodem pendere dicenda sunt cum fiunt. Respondeo breviter hoc dilemmate. Vel entitas subiecti aut pars eius ingreditur constitutionem eorum, quemadmodum lapides e. g. formam domus, atomi figuram; vel non. Si ingreditur, accidens aut forma fit ex subiecto: si non ingreditur, concedimus quidem illa fieri in aliquo, sed negamus fieri ex subiecto; subiectum enim ex quo fit res se habere debet ut causa materialis, haec autem est intrinseca toti quod fit; est enim id ex quo inexistente aliquid fit. Quod ergo effectui non est intrinsecum, nequit esse causa materialis eius. Atqui si sunt duae realitates accidens vel forma et substantia (debent

autem esse duae, si primum ab altero realiter distinguitur, realitas substantiae non est intrinseca realitati accidentis, et realitas informati realitati formae; quia non spectat ad eius intrinsecam constitutionem eo ipso quod sunt duae res distinctae ac prorsus diversi generis, ita ut una sine alia possit existere saltem divina virtute. Ex quo liquet quod entitas substantiae aut subiecti informati neque ex parte ingreditur constitutionem accidentis huiusmodi aut formae, quae divina virtute seorsim existere possunt; nam neque divina virtute fieri potest ut aliquid sit sine suis elementis intrinsece constitutivis. Ergo subiectum non est vere causa materialis huiusmodi accidentium aut formarum: ea enim semper cum Philosopho intellecta est illa, ex qua inexistente aliquid fit. Scilicet iste concursus subiecti ad effectiorem huiusmodi formarum aut accidentium nequit explicari. Nam non est concursus causae activae, ut per se patet; non est concursus causae materialis, quia nihil de suo subiectum confert ad constitutionem accidentis. Illud proinde tantum restat quod accidens aut forma dicatur esse talis naturae ut exigit fieri in subiecto aliquo, sicut exigit esse in illo; atqui hoc est prorsus aliud ac fieri ex subiecto; illud enim arguit tantam imperfectionem entitatis accidentis aut formae quae naturaliter exigit esse alterius tanquam complementum eius, non vero dicit accidens constitui ex realitate subiecti, quod quidem requiritur ut accidens fiat ex subiecto. Quocirca, omissa quaestione an huiusmodi formae et accidentia sint in rerum naturis, quae de re nolumus disputare, affirmamus quod si huiusmodi res vere inveniuntur, eae cum fiunt producuntur actione creativa, et idcirco ab ea tantum causa fieri possunt quae potest creare. Nec dicas in hac hypotesi nimis frequenter introduci actionem creativam, ac pene nihil reliqui fieri causis secundis; nam nec certum est dari has formas non subsistentes, et tot esse accidentia absoluta quot quidam olim censebant; et ordinario a causis secundis non fiunt nisi ii qui sunt certe modi reales substantiarum.

Nobis profecto videtur haec sententia de accidentibus absolutis et formis non subsistentibus impeditam reddere notionem creationis. Certe ipsi veteres cum ad tractandam quaestionem de creatione accessissent, ita loquebantur, ut negarent accidentia esse entia, esse id quod est, esse id quod fit, sed tantum concedebant esse entis entia, esse id quo aliquid est, quo aliquid fit (cf. S. Thom. I. p. q. XLV. a. 4. in qq. disp. q. III. a. 1.) Atqui haec ratio loquendi proprio usurpatur pro iis designandis qui a philosophis modi reales appellari consueverunt. Quocirca flagitamus ut nobis in hac materia, cum de formis non subsistentibus aut accidentibus sermo occurrat, liceat uti iisdem formulis quae antiquitas consecravit, ut nimirum dicamus ea esse entis entia, esse id quo aliquid est et fit, non id quod est et fit.

Ut in viam redeamus, duabus illis praecedentibus definitionibus haec tertia congruit: *ex non esse ad esse adductio ἐκ τοῦ μὴ εἶναι εἰς τὸ εἶναι παραγωγή. Εἶς non esse scilicet non quidem cuiuscumque rei, sed illius quae est terminus productionis, ut nihil praexistat eorum quae ad eius spectant constitutionem.*

Has tres definitionis formulas ut declarem, advertimus haec duo. 1. Quoniam id quod iam est non fit, sed fit quod non erat, hinc *nihilum vel non esse rei* quae fit, praesupponit effectiioni; idque est commune cuique productioni. Hoc autem est quod dicitur *nihilum sui*. 2. Porro id quod fit vel est accidens tantum, vel substantia simul et accidens, vel substantia composita, vel substantia simplex. Si est accidens tantum sive modus, id fit ex entitate pra-existentis subiecti: si est substantia simul et accidens, idem de hac productione dicendum erit ac de productione substantiae, fit scilicet substantia cum aliquo modo. Si vero fit substantia, potest fieri substantia simplex vel composita quae nempe ex aliis substantiis coalescit. Substantia autem composita potest duplici modo fieri, vel quatenus producantur omnes eius partes, vel quaedam et uniantur, vel quatenus solum uniantur. Si solum uniantur, res fit ex pra-existentibus iis quae ad rei constitutionem spectant, fit ex aliquo, non ex nihilo. Si aliqua pars praexistit, alia fit, totum quod fit producitur vere ex aliquo, eo nempe quod praexistit: idcirco totum non dicitur simpliciter creatum; ratione vero partis, quae vere creatur totum secundum quid dici potest creatum. Si omnes partes substantiae fiunt, idem de hac productione dicendum ac de productione substantiae simplicis. Iam vero haec si fit, nequit fieri ex subiecto aliquo, nam substantia nullum subiectum habet cui insit, nec substantia simplex, quae nempe ex aliis substantiis non coalescit, ullam causam materialem habet ex qua fieri possit; haec enim non possent esse nisi illae substantiae quibus constitueretur; ex nulla autem substantia constituitur: non autem fieri potest ex accidentibus; quidquid vero est aut est substantia aut accidens. Itaque ea productio cuius terminus est realitas ipsa substantiae sive simplicis sive compositae, non sola unio substantiarum, est productio ex nihilo eorum omnium quae ad rei constitutionem spectant, est a non esse (rei) ad esse adductio. Quocirca tandem definiti potest creatio cum S. Thoma I. p. q. LXV. a. 3. *productio alicuius rei secundum totam suam substantiam nullo praesupposito*. In qua definitione ultima verba *nullo praesupposito* sunt tantum declarativa; iam enim eorum sensus in praecedentibus continetur.

III. His positis patet quod *obiectum formale* creationis est *τὸ εἶναι*. Obiectum enim formale alicuius effectiionis illud est ad quod

producendum ea effectio per se ordinatur et quod proinde ratio est cur ea effectio ab aliis discernatur, et quoque specifico nomine appellatur. Iam vero illud ad quod per se ordinatur productio cuius terminus a quo est nihilum, est ipsum $\tau\omicron$ $\epsilon\iota\upsilon\zeta\iota$; facit scilicet esse quod non erat. *Terminus enim ad quem opponitur quidem frequenter contrarie, sed semper contradictorie* (h. e. includit oppositionem contradictoriam) termino a quo; eamque tantum includere potest cum terminus a quo est simplex negatio. Quocirca ex termino a quo colligi recte potest quinam sit terminus ad quem proprius alicuius productionis, qui nempe illi opponitur vel contrarie, si positivus ille est, vel pure contradictorie, si negativus. Atqui $\tau\omicron$ nihil opponitur $\tau\omicron$ $\epsilon\iota\upsilon\zeta\iota$. Ergo obiectum proprium creationis est $\tau\omicron$ $\epsilon\iota\upsilon\zeta\iota$; quae est doctrina S. Thomae 1. p. q. XLV. a 4. ad 1. aientis quod « cum dicitur: *prima rerum creaturarum est esse, ly esse, non importat substantiam creatam, sed importat propriam rationem obiecti creationis. Nam ex eo dicitur aliquid creatum quod est ens, non ex eo quod est ens... Et est similis modus loquendi, sicut si diceretur quod primum visibile est color, quia visibile illud quod proprie videtur, sit coloratum.* »

Verum nonne in quavis productione fit esse aliquid quod non erat? Scilicet fit aliquid ens quod non erat, ita ut numerus realitatum augeatur, *neg.* fit modus entis, fit id quo aliquid est, *conc.* Porro $\tau\omicron$ $\epsilon\iota\upsilon\zeta\iota$ proprium est entis, nec modus existit nisi existentia entis cuius realitas eadem est ac modi. Cum ergo proprium sit creationis producere ex nihilo, terminus in quem proprie tendit est *esse rei*; atque hoc est eius formale obiectum $\tau\omicron$ $\epsilon\iota\upsilon\zeta\iota$ nimirum de novo productum. Hinc consequitur quod creatio definiri quoque potest: *productio entis in quantum est ens.*

IV. Cum creatio definatur productio rei ex nihilo, advertendum quod praepositio *ex* potest duplicem ordinem designare, ordinem scilicet successionis, ut ex aegro fit sanus, et ordinem ad causam materialem, ut ex auro fit vas. Uterque autem ordo per eam formulam *ex nihilo* significatur, sed ita ut prior successionis affirmetur, prius nempe nihilum, postea ens; alter vero ordo negatur, ex nulla scilicet causa materiali sit ens. « Cum dicitur: Deus ex nihilo fecit, nihil aliud dicitur, nisi non erat unde faceret, et tamen quia voluit fecit » ait Augustinus in Lib. ad Orosium cont. Priscillianum, c. 3. Diximus priorem ordinem affirmari, idque certe valet pro conceptu adequato creationis, ut postea demonstrabimus: nihil tamen impedit quominus verus licet inadaequatus conceptus creationis habeatur, etsi ab eo ordine praeciso fiat.

V. COROLLARIA. I. Ergo creatio non est conversio *nihili* in realitatem, sed per eam desinente nihilo rei fit res.

2. Neque est transitus a statu ideali ad realem; ille enim idem semper manet. Neque est transitus a possibilitate ad existentiam, prout ea dicit non repugnantiam ad esse; nam ipsa quoque semper manet. Sed est transitus a statu purae possibilitatis, prout nempe dicit negationem existentiae, ad existentiam, est proinde a non esse ad esse adductio. Perperam vero ad eam absurditatem tendendam provocaretur ad Hebr. XI, 3. Fide intelligimus aptata esse secula Verbo Dei *ut ex invisibilibus visibilia fierent*: ac si quod invisibile est, seu nihil, ipsum factum esset visibile seu aliquid. Graece est $\epsilon\iota\zeta$; $\tau\omicron$ $\mu\eta$ $\epsilon\kappa$ $\phi\alpha\iota\upsilon\omicron\mu\epsilon\upsilon\omicron\nu$ $\tau\alpha$ $\beta\lambda\epsilon\pi\omicron\mu\epsilon\upsilon\alpha$ $\gamma\epsilon\gamma\omicron\nu\epsilon\upsilon\alpha\iota$, in quibus verbis $\mu\eta$ $\epsilon\kappa$ $\phi\alpha\iota\upsilon\omicron\mu\epsilon\upsilon\omicron\nu$ habes particulam $\epsilon\kappa$ inclusam negatione (cf. S. Thomam q. XLV. a 1. ad 3^o) non *ex aliquo*, vel accipere licet puram metathesim pro $\epsilon\kappa$ $\mu\eta$ $\phi\alpha\iota\upsilon\omicron\mu\epsilon\upsilon\omicron\nu$, quemadmodum dicitur $\omicron\upsilon\alpha$ $\epsilon\zeta$ $\delta\upsilon\tau\omega\nu$ pro $\epsilon\zeta$ $\omicron\upsilon\alpha$ $\delta\upsilon\tau\omega\nu$: cuiusmodi metathesis non rara est Hellenistis. Imo et quidam Patres graeci legunt $\epsilon\kappa$ $\mu\eta$ ut Athanasius De Synodi Nicaenae decretis; atque ita legit, (vel ita intellexit vulgatus interpres et Syrus. Porro $\beta\lambda\epsilon\pi\omicron\mu\epsilon\upsilon\alpha$ perinde haberi possunt ac $\delta\upsilon\tau\alpha$, materialia scilicet; res enim materiales quae caelo terraque continentur, veniunt sub nomine visibilium appellatione nisi facta ab relatione quam habent ad sensus, et potissimum ad sensum visus. Et sane ex nexu membrorum orationis liquet $\tau\alpha$ $\beta\lambda\epsilon\pi\omicron\mu\epsilon\upsilon\alpha$ eadem esse ac $\tau\omicron\upsilon\varsigma$ $\alpha\iota\omega\upsilon\alpha\varsigma$; $\omicron\iota$ $\alpha\iota\omega\upsilon\alpha\varsigma$ autem sunt δ $\kappa\omicron\sigma\mu\omicron\varsigma$, $\tau\alpha$ $\pi\alpha\upsilon\tau\alpha$. Per $\alpha\iota\omega\upsilon$ enim primum quidem significatur diuturna duratio, seculum, tum duratio, vel cursus mundi, ut plene exsta Ephes. II, 2. Tum ipse $\kappa\omicron\sigma\mu\omicron\varsigma$ mundus, quae significatio a praecedente derivatur. Cf. locutiones penes Ioan. XII, 34; XIV, 30; XVI, 41. coll. 2. Cor. IV, 4; et penes 1. Cor. I, 20, ac III, 49 cum 1. Cor. II, 6. Ac praeterea in eadem epistola ad Hebraeos $\omicron\iota$ $\alpha\iota\omega\upsilon\epsilon\varsigma$ I. 2. sunt certe mundus. $\tau\alpha$ $\beta\lambda\epsilon\pi\omicron\mu\epsilon\upsilon\alpha$ ergo sunt $\tau\alpha$ $\pi\alpha\upsilon\tau\alpha$, $\tau\alpha$ $\delta\upsilon\tau\alpha$ ideoque iis opposita $\tau\alpha$ $\mu\eta$ $\phi\alpha\iota\upsilon\omicron\mu\epsilon\upsilon\alpha$ sunt $\tau\alpha$ $\omicron\upsilon\alpha$ $\delta\upsilon\tau\alpha$, $\tau\omicron$ $\omicron\upsilon\delta\epsilon\nu$. Sensus igitur est: Verbo Dei ita constitutum aptatum esse mundum, ut ex non entibus entia fierent. Quod si particulam $\mu\eta$ vis construere cum verbo $\gamma\epsilon\gamma\omicron\nu\epsilon\upsilon\alpha\iota$, eandem sententiam extundes modo negante: h. e. ut non fierent entia ex entibus, scilicet fierent ex nihilo. Negari tamen nequit posse ea verba Pauli et quidem melius de secunda Dei operatione accipi, de qua in cap. 2. disputabimus.

3. Ergo creari proprium est substantiae, tum quia ipsa si fieri debet, sola creatione fieri potest, tum quia cetera licet simul cum illa fiant, tamen ex ipsa fiunt, quia ex eius realitate consistunt.

4. Ergo creatio non est propria sed impropria veritate.

5. Ergo creatio passive accepta secundum rei veritatem est ipsa res producta ex nihilo quatenus refertur ad causam sui (Cl. Th. V. seq.)

Suppleri possunt quae heic omittimus per ea quae dedimus in Institt. Philoss. Cosm. Th. XXVII.

VI. Iam vero conceptus traditus creationis ad notiones catholice spectare dicendus est. Quoniam doctrinam totius catholice traditionis in III. Thesi afferemus, haec modo ad id demonstrandum referre sufficiat. Sane 1) penes monumenta omnia exhibitentia doctrinam catholicam quoad productionem rerum, cum nimirum vel primus symboli articulus vel primus Genesis versus explicatur vel ad doctrinam ibidem contentam provocatur, frequentissime eae formulae occurrunt, quae conceptum creationis perfecte referunt; cuiusmodi sunt: *effectio rerum de nihilo* (August. de Genesi cont. Manichaeos l. 1. c. 6. Irenaeus L. II. c. 9.), *creatio omnium quae sunt in quantum sunt* (August. de Genesi ad litt. imperfect. c. 1.), *ποίησις ἐκ τοῦ μη ὄντος εἰς τὸ εἶναι* (Pastor L. II. M. 1), *ἐκ τοῦ μη ὄντος εἰς τὸ εἶναι παραγωγή* (Damascenus De Fide L. II. c. 3; Basilius in hexaem. hom. I. n. 2; Chrysostom. in Genes. hom. II. n. 2; Ioannes Philoponus de mundi Opificio L. I. c. 22) *effectio οὐκ ἐκ προϋποκειμένης ὕλης, ἐξ οὐκ ὄντων, ἐκ μη ὄντων* (Athanasius Oral. De Incarnatione Verbi n. 3. Nazianzenus Or. Theol. III. n. 9. Symbolum nicænum), *ἐκ τοῦ μηδὲν μηδὲν ὄντος* (Cosmas Indicopleustes Topographia Christiana L. I. Theodoretus de cura graecar. affect. Sermo 4^o). *Deus appellatur αἰτίος τοῦ εἶναι* (Eusebius Dem. Evang. L. IV. c. 1.), *κτίστης τοῦ πάντος* (Theophilus ad Autolycom L. III. n. 9.), qui dat rebus *ut sint* (Fulgentius de Fide ad Petrum. Ambrosius Hexaem. L. I. c. 3), *ποίητης τῶν οὐρανῶν* (Zacharias Mitylenæus in Dialogo De Opificio Mundi), *τῶν ἀπάντων οὐρανοῦσως τε καὶ ὑπερῆως αἰτίων* (Eusebius. Dem. Evang. L. IV. c. 1.). Porro si hae formulae conferantur cum conceptu tradito creationis, liquebit eas esse eiusdem absolutissimas expressiones. Cum ergo PP. conceptum iis verbis expressum exhibent tanquam notionem ad doctrinam catholicam spectantem eiusque propriam, constat manifeste eum conceptum doctrina catholica contineri.

2) Certum est praedicatione catholica haec duo contineri, tum Deum creasse caelum et terram et omnia quae in eis sunt, tum aliquando omnia incepisse, sive prius fuisse nihil, quae duo per creationis vocabulum sensu speciali et ecclesiastico usurpatum significantur, ut ex fidei symbolis manifestum est. Iam vero, omissa nunc quaestione ontologica de rei veritate, ad quaestionem logicam quod spectat, evidens est ea duo simul concipi non posse quin simul obversetur menti conceptus creationis quem nos explicavimus; spectat ergo ad intellectum catholicum hic conceptus.

3) Doctrina est unanims PP. triplicem distinguendum esse modum quo effectus a causa sua procedere possunt, nempe primus est per generationem, alter per dispositionem aut conformationem alius subiecti, tertius per creationem. Sane cum Gnostici et Manichaei contenderent materiam aliquam aeternam et infectam esse ex qua Deus mundum condiderit, Patres primum accurate distinguunt duplicem effectiois speciem, alteram, qua ex praesupposito subiecto aliquid ad existentiam adducitur, alteram qua ipsum subiectum efficitur: tum concedant quidem ex materia Deum constituisse mundum, sed una contendunt materiam ipsam ex nullo subiecto praeesistente esse productam a Deo. Unde et hanc duplicem productionem in ipsis divinis operibus rite distinguunt; et comparantes vim effectivam hominum cum vi divina, docent discrimen in eo esse quod artifices indigeant subiecto aliquo unde aliquid efficiant, e contrario Deum nullo subiecto indigere. Augustinus de Genes. cont. Manichaeos L. I. c. 6: « Deus rectissime creditur omnia de nihilo fecisse, quia etiam omnia de ista materia facta sunt, haec ipsa tamen materia de omnino nihilo facta est. Non debemus esse similes istis qui omnipotentem Deum non credunt aliquid de nihilo facere potuisse, cum considerent fabros et quoslibet opifices non posse aliquid fabricare nisi habuerint unde fabricent. » Et Irenaeus ad haer. L. II. c. 9. « Homines quidem de nihilo non possunt aliquid facere, sed de materia subiacenti, sed Deus quam homines hoc primo melior eo quod materiam fabricationis suae, quam antea non esset, ipse advenit. » Et Chrysost. in Genes. hom. 3. n. 2. « Audis Deum in principio fecisse caelum et terram, et ex nihilo quae facta sunt exstulisse; et dicis prius exstulisse materiam? Numquid opifex ille est homo, ut opus habeat subiecto aliquo ad demonstrandam suam artem? Deus est cui omnia cedunt, qui verbo et praeepto suo omnia condidit. » Damascenus de Fide L. II. c. 5. « Ipse Deus noster fecit caelum et terram, et omnia quae in eis sunt, ex nihilo ad esse adducens. Universa haec quidem caelum, terram, aera, ignem, aquam non ex subiecta materia, alia autem fecit ex iis quae ab ipso facta fuerant, puta animalia, plantas. »

Tum PP. eandem productionem ex nihilo ἐξ οὐκ ὄντων opponunt generationi sive processioni ex substantia generantis, quod in universa controversia Ariana manifestum est. Arius enim ἐξ οὐκ ὄντων productum esse filium docebat, contra Ecclesia enim esse ἐξ οὐρανοῦ Patris decrevit (Athanasius in Expositione Fidei). Sufficiat decretum Synodi Nicænae, « Credimus in unum Dominum Iesum Christum Filium Dei, genitum ex Patre, unigenitum h. e. ex substantia Patris... Eos vero qui dicunt: erat aliquando quando

non erat, aut priusquam generetur non erat, aut *ex non existans factus est*, hos anathematizat catholica et apostolica Ecclesia. »

Iam vero duplex haec oppositio inculcata a Patribus productionis ex nihilo tum cum productione ex subiecto extrinseco agenti, quae propria sit sive naturalium causarum, sive artificum sive ipsius Dei, tum cum productione naturali ex propria substantia producentis, manifesta in luce ponit et tertium productionis modum ab his duobus diversum conceptum fuisse a Patribus, et tertium hunc modum productionis quam appellabant productionem ex nihilo, ita ab ipsis conceptum fuisse, ut esset omnino productio rei nullo praeesistente subiecto, nullo elemento praeesistente eorum quae ipsam rem constituunt, productio ipsius subiecti, ideoque creatio qualem nos explicavimus.

Thesis II.

Tum argumentis collectis ex iis quae Scripturae diserte docent, ex diserta testificatione Scripturarum, productio omnium rerum ex nihilo evidenter demonstratur.

I. Multiplici argumentorum genere ex auctoritate Scripturarum demonstrari potest creatio rerum. Ea ad duplicem classem revocare licet: vel enim sunt testimonia, ex quibus accurate ratiocinando colligitur necessario creatio rerum, quae proinde iis implicite affirmatur, et quorum veritas teneri nequit, nisi et veritas creationis teneatur: vel sunt testimonia, quae explicitè et diserte dogma creationis tradunt. Priora, ne longiores simus, ad tria revocamus, ad quorum normam plura alia ex se diligens discipulus poterit adinventire. Itaque haec tria considerare licet in scripturis a) notionem rerum praeter Deum ibidem traditam, b) notionem pariter essentiae divinae, c) dominium Deo assertum in omnia cum frequenti et sollemni praedicatione quod Deus omnia fecerit.

Itaque α) Isaiæ XL commendans Deus potentiam et sapientiam suam contra idololatrias, ut se unum esse Deum ostendat, haec ait v. 17: *Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo* *בְּעֵינֵי יְהוָה כְּאִין בְּנִדָּרִים, et quasi nihilum et inane וְתִהְיֶה מַאֲפֵס* *reputatae sunt ei*. Prosequitur v. 18. cui ergo similem fecistis Deum? v. 21. Numquid non scitis? numquid non audistis? numquid non annuntiatum est vobis ab initio? numquid non intellexistis fundamenta terrae? *מְסֻדְרֵת הָאָרֶץ* (conf. Prov. VIII, 26), v. 26 Levate in excelsum oculos vestros, et videte quis creavit *בְּרָא* haec etc. Manifestum est haec provocari ad revelationem ab initio factam, et a Moyse in initio Legis ma-

nifestatam populo Israelitico, quocum Deus loquitur; nempe ad revelationem creationis omnium rerum: qua de revelatione postea. Modo illud consideramus quod omnes gentes dicantur esse tanquam nihilum comparatae cum Deo. Gentes גֵּוִים haec complectuntur etiam Israelitas; nam ipsos directe alloquitur Deus eosque hoc argumento deterrere vult a cultu idololatriæ. Vocabulum אֵין speclato usu cum nomen est, valet *nihilum*: cum adverbialiter adhibetur, valet *non*, et est per se negatio entis, unde verbum substantivum includit; idemque est ac: *non est*. Ens vero quod negatur, vel est tota realitas, vel aliqua forma rei; idque ex subiecto vel contextu sermonis colligi debet; quemadmodum haec, v. 23. הַנְּתֹן רוּגִים לְאֵין *qui principes redigit ad nihilum*, h. e. facit ut non sint principes. Quando vera nulla forma apparet, in quam specialiter cadat negatio, tunc אֵין tribuenda est simpliciter negatio absoluta entis, sicut latino vocabulo *nihilum*. Porro ea quae haec occurrit formula comparationis: omnes gentes quasi non sint sic sunt coram eo, solet non infrequenter adhiberi ut alicuius rei vel personae prae alia excessus singularis significetur, ut si de tot picturis informibus, quae nunc apparent, comparatis cum vaticanis picturis Raphaelis aut de quibusdam philosophunculis comparatis cum Aristotele dicatur quod sunt pene nihil (un nulla, nullità). Ut autem vera sit affirmatio, oportet ut forma, sub qua duo comparantur, vel in uno sit et non in alio nisi apparenter, vel si in utroque est, ut alterum ab altero maxime distet, atque ita ut quod inferius est nihil in se exhibeat quo augeri vere possit perfectio excellentioris. Huiusmodi vero comparatio, cum fit ratione alicuius formae accidentaliter, potest esse legitima et vera, etsi secundum essentiam essentialisque proprietates res sint pares; fieri enim potest ut aliqua forma accidentaliter sit tantum in uno et non in alio, vel excellentissimo modo in uno, in alio autem imperfectissimo, etsi ambo sint eiusdem naturae. At cum comparatio fit ratione ipsius essentiae sive perfectionum essentialium, ut ea sit legitima et vera, opus est ut tunc in ipsis essentis seu perfectionibus essentialibus valeat quod requiri diximus in formis accidentalibus.

Iam vero constat 1. quod cum dicantur gentes omnes esse tanquam nihil, non hic potest esse sensus ut nihil sint quatenus gentes etsi sint aliquid quatenus homines: nihil enim ad argumentum conferret, si essent tanquam nihil prout gentes sunt, sed non essent tanquam nihil prout homines. Quid quod fieri non posset ut tanquam nihil essent prout gentes, si non essent tales prout homines? Omnes ergo gentes sunt omnes homines. Constat 2. de omnibus visibilibus rebus comparatis cum Deo affirmari posse illud quod affirmatur de omnibus hominibus comparatis cum Deo, quando hi non

in ordine morali sed ontologico seu physico spectantur: homo enim est ens excellentius ceteris, omnesque perfectiones ceterorum quodammodo continet. Porro constat 3. quod heic homines ontologico spectantur: comparatio enim instituitur ratione potentiae et sapientiae: ait enim Deus v. 12. *Quis mensus est pugillo aquas, et caelos palma ponderavit? quis appendit tribus digitis molem terrae? quis adiuvit spiritum Domini, aut quis consiliarius eius fuit?... et erudit eum scientiam, et viam prudentiae ostendit illi? Ecce gentes quasi stilla situlae, et quasi momentum staterae reputatae sunt.... omnes gentes quae non sint, sic sunt coram eo.* Constat 4. ita comparationem heic institui Deum inter et homines ideoque res ceteras visibiles ratione potentiae et sapientiae, ut comparatio vere fiat inter essentialiam Dei et ceterorum sive inter utrorumque perfectiones essentialias. Nam talis comparatio huc tandem spectat ut doceantur scilicet Iudaei Deum solum esse adorandum: id vero ratione essentialiae suae suarumque essentialium perfectionum competere ei debet, atque tantum propter eas competere illi potest. His positus in argumentum.

Res visibiles omnes factas esse a Deo testatur ipse Deus heic v. 26. et 28: at questio est an sint creatae. Atqui si creatae non sunt, materia earum non habet esse a Deo, sed existit ab aeterno increata. Haec materia, quae semper existit, est certe substantia, substantia habens esse independentem a Deo sive a se, ideoque obtinens ea omnia attributa quae cum $\tau\omega$ esse a se connexa necessario sunt. Omnes autem res visibiles sunt intrinsece haec substantia, modificata tantum a Deo. Atqui si ita est, nequeunt hae res dici esse tanquam *nihil non ens* coram Deo h. e. comparatae cum Deo: conveniunt enim univoco cum Deo in eadem ratione *entis necessarij, aeterni, a se*. E contrario si ex nihilo sunt, verissime dicitur eas, si comparentur cum Deo, esse ex sese tanquam nihil, tum quia entitas eorum infinite distat ab esse divino, tum quia quidquid sunt, a Deo habent. Cum igitur in hac tantum hypothesi id possit de rebus affirmari, dicendum est ea affirmatione affirmari quoque creationem rerum.

3) Nomen Dei proprium est יהוה. Ex. III, 15. Haec dices filiis Israel Dominus יהוה Deus patrum vestrorum, Deus Abraham, Deus Isaac et Deus Iacob misit me ad vos *וזה זכרי לך דר* hoc nomen meum est in aeternum, et sic me nominabitis per omnes aetates (Cf. Hos. XII, 5). Iterumque suum esse hoc nomen Deus testatur Ex. VI, 3. *apparui Abraham, Isaac et Iacob in Deo omnipotente, et nomen meum יהוה non notum feci eis.* Unde et sibi propriam Deus vindicat huius nominis explicationem: *ego ipse primus et novissimus*; quae ter occurrit penes Isaiam, cum se Deus

ceteris opponit. Scilicet XLI, 4. *אני יהוה ראשון ואחריהם* אני יהוה ego Dominus primus et cum novissimis (aliis in locis parallelis est יהוה novissimus) ego ipse; item XLVIII, 12; atque XLIV, 6, quo postremo in loco, post appellationem hanc sibi assertam subdit: *et absque me non est Deus.* Item Apoc. I, 8. *Ego sum α et ω ... δ $\acute{\omicron}\nu$, $\kappa\alpha\iota$ δ $\eta\gamma$, $\kappa\alpha\iota$ δ $\epsilon\chi\theta\mu\epsilon\nu\omicron\varsigma$, δ $\pi\alpha\nu\tau\alpha\kappa\alpha\tau\omega\pi$, quae accipienda esse ad modum unius et tanquam proprium nomen liquet ex praecedente commate 4. gratia vobis et pax $\acute{\iota}\pi\omicron$ (quidam inserunt $\tau\omega$) δ $\acute{\omicron}\nu$, $\kappa\alpha\iota$ δ $\eta\gamma$ $\kappa\alpha\iota$ δ $\epsilon\chi\theta\mu\epsilon\nu\omicron\varsigma$.* Certum est igitur nomen hoc proprium esse Dei, aliis incommunicabile. Iam vero huiusmodi nomine יהוה, δ $\acute{\omicron}\nu$ significatur plenitudo entis, aeternitas, et immutabilitas Dei. Pariter *primus et novissimus* is est qui est ante omnia, et nunquam desinet, qui durationis suae ambitu omnia complectitur; qui, etsi omnia desinere possint, et si quando desitura essent, ipse non desinet. Isai XLIII, 40. *Ego ipse sum יהוה, ante me non est formatus Deus, et post me non erit.* Cum vero hoc nomen sit proprium Dei; necesse est 1) ut vere competat Deo id quod eo nomine significatur; et 2) ut nulla alia res praeter Deum possit iure merito nomen illud sibi vindicare. Atque si materia infecta est et non habet proinde esse a Deo, falsum est quod Deus sit plenitudo $\tau\omega$ $\acute{\omicron}\nu\tau\omega\varsigma$; cum ens necessario aeternum, ideoque infinitum materiae nec sit nec possit esse a Deo: eademque materia poterit sibi vindicare illud nomen, esset enim ens a se, necessarium: eademque de se affirmare posset quod sit primus et novissimus, qui est, qui erat, et qui venturus est, quia necessario ab aeterno existit et est necessario in aeternum existitura, fruens vera aeternitate, ideoque duratione immutabili. Ergo asserens Deus sibi illud nomen excludit necessario materiam improductam, atque adeo quidquid aliud improductum: ergo quaecumque existunt, ex nihilo sunt producta. « Deus scilicet, ut ait Tertullianus adv. Hermogenem « unicus est, nec aliter unicus nisi quia solus, nec aliter solus nisi quia nihil cum illo; sic et primus quia omnia post illum, sic omnia post illum, quia omnia ab illo; sic ab illo, quia ex nihilo. »

Item Deus frequentissime in Scripturis appellatur $\pi\alpha\nu\tau\alpha\kappa\alpha\tau\omega\pi$ *omnipotens* יהוה quod postremum usurpatur vel praemisso אל (Gen. XVII, 1. Ex. VI, 3) vel simpliciter (Iob. V, 17; VI, 4) quodque Aquila, Symmaeus, Theodotus, et identidem LXX (1) vertunt $\acute{\iota}\lambda\alpha\nu\omicron\varsigma$ (qui nempe sufficiens sibi est $\acute{\alpha}\delta\upsilon\tau\alpha\kappa\alpha\tau\eta\varsigma$) et rursus idem

(1) Forte putarunt illi, quod et nonnulli arbitrati sunt, vocabulum hoc esse ex ψ pro ψ , אשׁר $\eta\gamma$ et $\eta\gamma$ sufficientia: cuius est *sufficiencia, qui est sibi sufficiens.*

LXX vertunt παντοκρατωρ et vulgatus *omnipotens*. Appellatio haec יהוה licet frequenter in Scripturis occurrat, nunquam nisi Deo fit; ideoque non raro LXX et vulgatus eam reddunt Κυριος Dominus. Nomen ergo יהוה secundum Scripturarum usum proprium est Dei. Igitur proprium est Dei ut omnia possit, omnia sub sua potestate κρατει confineat, sitque sibi sufficiens, nullius ope ad agendum indigens. Atqui haec postulant ipsam materiam productam esse a Deo, sive Deum substantias omnes produxisse quoad totam earum realitatem. Sane Deus nequit simpliciter appellari *sufficiens sibi* si pro condendo mundo materia aliqua indignit quam ipse non fecerit, ut Patres quoque argumentantur; nequit appellari παντοκρατωρ; nam materiae reapse non praevalet neque est ab ea independens, cum non possit efficere nisi quod est in potestate materiae; neque tandem Deus potest omnia quae possibilia sunt fieri; plura enim sunt quae esse possunt, quaeque tamen potentia materiae sive subiecti non continentur, ut e. g. spiritus, qui cum simplices sint, ex nullo subiecto produci possunt: si ergo divina potentia materia indiget ad opera sua molienda, ad illos effectus producendos non poterit se porrigere, limitem proinde habebit divina potentia neque omnia poterit. « Nullius rei est indignus (ait Theodoretus Curat. affection. graecar. Serm. 4) universorum Deus. Humanae vero artes aliae aliarum ope indigent... At rerum omnium Opifex, nec instrumentis nec materia indiget; sed quod aliis artificibus sunt materia et instrumenta tempusque et labor arsque ipsa et diligentia, hoc universorum Deo est voluntas. » Hinc est quod LXX. Job. VIII, 3. יהוה reddunt δ τα παντα ποιησας.

γ) Deo in Scripturis frequentissime dominium rerum omnium asseritur, vocaturque non solum יהוה Κυριος, Dominus; sed κατ' εξοκην יהוה ה' ο Κυριος; et Κυριος των κυριων. Deuter. X, 7. Psal. CXXXVI, 3; dicitur autem *Dominus caeli et terrae* Matth. XI, 25, Act. XVII, 24 etc. Jam vero videndum est primo quid appellatione complexa *caeli et terrae* significetur: deinde quid sibi vindicet dignitas domini quae Deo tribuitur. Itaque quoad primum advertatur quod phrasid haec *caelum et terra, mare et omnia quae in eis sunt*, significat prorsus omnia quae existunt praeter Deum; nihil enim praeter ea quae in his sunt, ex testificatione Scripturae novimus existere extra Deum: nam et ipsi Angeli in caelis esse dicuntur ab inspiratis Scripturibus, et Daemones in hoc aere aut in inferis. Quod si alias res praeter has in aliis mundis concipere gratulor velis, nostra modo nihil refert; satis est enim quod ea phrasid mundum universum significet, omnes nempe res materiales et spirituales quas novimus. Porro ea phrasid occurrit Ex. XX, 14; Psal. CXLV, 6. Act. IV,

24, et XIV, 14; ibique dicitur Deus fecisse *caelum et terram, mare et omnia, quae in eis sunt*. Haec autem, quae Deus fecisse dicitur, uno verbo expressit Ioannes I, 3, *omnia, τα παντα* (tutte le cose), pariterque Paulus ad Hebr. I, 3, inquires *Filium ferre τα παντα verbo virtutis suae*: quo in loco v. 2. *per quem fecit et secula*, idem significatur τω secula ζωων; ac vocabulo *mundus* (cf. dicta superius sub Coroll. 3.). Sane verba Pauli Heb. I. δ' ου και τους αιωνας επoiησε parallela sunt verbis Ioannis I, 3. παντα δ' ου του εγενετο: cur vero αιωνες dicantur in plurali explicat Vorstius (Dissert. De Paradiso) quia hebraei mundum in tres veluti partes dividebant, *superum, medium, et inferum*. Iam vero phrasid *caelum et terra* est contractio prioris ex recitatis *caelum et terra mare et omnia quae in eis sunt*, idemque repraesentat. Etenim 1) potest certe haberi phrasid aequalvens; quia cum dico *caelum et terra*, dico implicite quoque id quod in eis continetur: 2) id liquet ex parallelismo. Cum enim Ex. XX. 11. dicitur: *sex diebus fecit Dominus caelum et terram mare et omnia, quae in eis sunt*: in parallelo Ex. XXXI, 17. dicitur: *sex diebus Dominus fecit caelum et terram. Caelum et terra* ergo omnia prorsus quae sunt repraesentant. Et Act. XVII; 24. respondent sibi ex parallelo haec duo incisa: *Deus qui fecit mundum et omnia quae in eo sunt, hic caeli et terrae cum sit Dominus*. Ergo ambitu phrasid huius *caelum et terra* omnia comprehenduntur quae sunt praeter Deum. Unde Augustinus De Genesi ad literam L. V, c. 3. « Hic est liber (Gen. II, 4) creaturae caeli et terrae, cum fecit Deus caelum et terram: ut in caelo et in terra intelligeremus quidquid in eis est, sicut loqui divina Scriptura consuevit, ut nomine *caeli et terrae* saepissime, interdum addito et *maris* universam insinuet creaturam, aliquando adiungens et dicens: *et quae sunt in eis.* »

Quoad alterum vero, scilicet cuiusmodi sit dominium Dei optime declarat Mardocheus Esth. XIII. 9. seq. Domine Domine rex omnipotens βασιλευ παντων κρατων, in ditone enim tua cuncta sunt posita οτι εν εξουσια σου το παν εστι, et non est qui possit tuae resistere voluntati, si decreveris salvare Israel: οτι tu fecist caelum et terram, et quidquid caeli ambitu continetur: Dominus omnium es, nec est qui resistat maiestati tuae σοι τω Κυρω. Scilicet dominium Dei non tantum est iurisdictionis, sed et proprietatis; Dominus est enim Deus, quia *fecit*: dominium eius complectitur omnia το παν; dominiumque est solutum constrictioe et limitatione quavis; quia nemo est qui possit sua resistere maiestati, ideoque et nulla alia natura; quia est dominus omnium: et sane *subest παρести ipsi, cum voluerit, posse*: Sap. XII. 18.

Atqui 1. huiusmodi dominium proprietatis, universale, independens supponit necessario creationem eorum, quorum Deus est Dominus; est autem Dominus του παντος, caeli et terrae: ergo. Prob. minor: nam si Deus res non creavit, sed tantum formavit: a) non esset Dominus του παντος, quia inter omnia continetur certe materia seu substantia, ex qua naturae sunt factae; porro ea dominio eius proprietatis non subiceretur, quia titulus domini est productio: et quia materia et substantia infecta, ideoque a se existens nequit subesse dominio alicuius: b) non esset Deus quoad ipsas naturas factas Dominus independens, ut nihil ei resistere possit; in ipsis enim naturis substantia, qua constant, improducta esset, quia ea non nisi ex nihilo fieri potest, supponitur autem Deum non creasse: substantia vero improducta est, ut diximus, independens; ideoque et tota realitas substantiae esset a Deo independens; ideoque et tota realitas substantiae hominis. Atqui res, cuius tota substantialis realitas est independens ab agente, limites necessario ponit potentiae agentis, ut ipsum non possit quicquid velit, sed id tantum ad quod ipsa est in potentia: et licet agens possit dispositiones subiecti mutare, si tamen subiectum sit ex natura sua Dominus suorum actuum, ideoque suorum dispositionum, ut est homo, pugna necessario existeret inter illud subiectum et agens, nec esset ratio sufficiens cur agens praevaleret. Non esset ergo Deus ita Dominus omnium ut nemo ei possit resistere, si aliquid facere velit: ut praesto sit ipsi posse, si velit. Scilicet repugnant haec duo: Deum habere dominium proprietatis omnium quae sunt, et omnem realitatem substantiae omnium rerum esse infectam et independentem a Deo.

2. Dominus Deus omnium dicitur quia ea fecit. Frequens est in scripturis haec affirmatio, qua Deus sollemniter testatur se omnia fecisse. Cf. Isaiam XL. 21 seqq. etc. Etsi negetur Deum ea ex nihilo fecisse, concedendum est tamen Deum omnes formasse et constituisse naturas. Ita vero formavit et constituit ut omnium earum sit absolute Dominus. Atqui id nobis satis est ut creationem quoque demonstrarem. Primo quidem quia in subiectum improductum nemo agere potest. Sane ut recte arguit Iustinus in Cohortatione ad Graecos n. 23. « materiae vim, quam infecta sit, et iuxta Platonis sententiam aequalis et coeva oppicif, oblectari par est eius voluntati: ei enim qui non creavit, nulla est in id quod est increatum potestas, ita ut neque vis ulla ei inferri possit. » Quo argumento nihil evidenti. Deinde hoc etiam omissis, si Deus Dominus est, ita materiam effluxit et ordinavit ut unum prae ceteris ordinem elegerit et constituerit, certas naturas rerum formans, easque praeterea leges tulit quibus res necessario regantur, nec possint aliter se habere, et

aliud efficere quam quod ipse determinavit, nisi ipse Deus exceptionem faciat, tum quoad caelum, tum quoad tellurem, tum quoad elementa, plantas, bruta, hominesque. Hoc enim est esse Dominum rerum factarum. Porro hic ordo a Deo materiae inditus est ordo per se contingens, pluresque alii ordines diversi continentur in potestate materiae. Atqui si Deus naturas fecit ex materia improducta et a se ipso independente, nulla est ratio sufficiens cur ordo aliquis sit constitutus a Deo, et cur ordo constitutus a Deo perduret eo ipso quod Deus vult, sed non obstante divina voluntate poterunt et debebunt alii ordines existere. Sane licet subiectum hoc sit tantum passivum, quia tamen a se existit, est necessario in suo ordine saltem infinitum; ideoque postulat ut ea omnia, ad quae est vel concipitur esse in potentia, sint acta, hoc enim proprium est entis infiniti, habere actu omnia, quae habere potest: exigentiae autem entis a se existentis nullum aliud ens adversari potest. Igitur cum materia improducta plures alios ordines subire possit, Deus 1) nullam prae aliis determinare potest, quia omnes ex aequo exiguntur: multoque minus 2) impedire poterit ne alii ordines succedant. Quocirca si materia est infecta, deest Deo potestas et indendi ipsi ordinem aliquem, eumque conservandi. Neque proinde est factor rerum, et dominus earum. Falsa proinde foret quoad omnes sui partes haec propositio causalis: *Deus est Dominus rerum, quia eas fecit.*

Corollarium. Cum ergo simpliciter Deus asseritur Dominus et factor omnium rerum, iam implicite asseritur quoque creator earumdem.

II. Quae quidem creatio ex Gen. I. 4. demonstratur. *In principio creavit Deus caelum et terram.* Ut autem accurate, quoad ens fieri potest, analysim exegeticam huius loci instituamus, hanc discedentes, ut par est, ab unanimi consensu Patrum, si quando occurrit, consideramus 1. haec sermonem a Moysse haberi de prima divina molitione operum suorum seu de primo appulsu Dei ad operandum saltem in ordine materiali, ita ut ante id quod haec Moyses dicit a Deo factum, nihil praecesserit quod factum fuerit a Deo in eodem ordine rerum. Id duplici argumento demonstramus vel suademus intrinseco et extrinseco. Intrinsecum petimus ex verbis *in principio*. Principium est id ante quod nihil est, post quod est aliud: quare principium seriem quamdam connotat, est enim relativum ad principiatum sive consequens. Si apponitur nomen designans aliquam determinatam seriem, principium accipi debet quoad eam tantum, sic principium regni, mensium etc. Cum series connotata est series temporis, si voci *principium* apponitur nihil quo certum tempus determinetur, tempus indefinite sive universum accipi debet; quia cum nulla sit ratio cur potius hoc quam illud speciale tempus intelligatur, vel nihil intelli-

gitur, vel tota series temporis intelligenda est. Et re quidem vera si nulla determinatio apponitur, non restat nisi idea generica durationis, quae per se ad omne tempus porrigitur. Itaque pars prima sive primus actus durationis realis significatur.

Porro hic primus actus durationis sive inceptio prima rerum nequit designari per respectum ad aliquod tempus reale cui coexistat aut succedat, sed solum negative negando nempe durationem praecedentem; hoc autem fit dicendo *in principio*; idest *quam antea nihil esset*: principium enim est id ante quod nihil est.

Iam vero vox **ראשית** in Scripturis significat id quod principium est in ordine vel temporis vel causalitatis vel loci vel dignitatis: et cum primatum temporis designat, vel id significat quod alia praecedit tempore, vel ipsum initium temporis. At ab hoc versiculo primo Genesis primatus loci aut dignitatis est omnino alienus. Disputari potest de serie causalitatis et effectus an ea per *principium* designetur, nam Patres plures *in principio* interpretati sunt in *Filio* per quem facta sunt omnia. Verum de hac interpretatione, quae certe non est exclusiva, paulo post loquemur. Nunc paulisper ea seposita, quaestio restat an **ראשית** significet id quod est primum tempore, an ipsum initium temporis. Atqui nequit significare id quod est primum in serie durationis, seu quod alia praecedit. Nam vel significaretur *prima res creata*, vel *prima effectio Dei*. In prima hypothesisi verba vertenda essent: *primum creavit Deus caelum et terram*, in alia: *primo creavit Deus caelum et terram*. Haec autem altera significatio in hac materia est re eadem ac prior, distinctio enim operationum Dei non nisi ab effectibus peti potest. Iam vero prior significatio accipi nequit, quia tunc praepositio **ב** in redundaret; etenim **ראשית** semper vim nominis habet, quare sensus esse deberet: primum h. e. primam tempore rem creavit Deus caelum et terram: ubi praepositioni *in* locus esse nequit. Eadem ratione reiicienda est alia significatio; quia in ea hypothesisi **ראשית** vim nominis amitteret, et adverbialiter adhiberetur: atqui id nusquam in Scripturis fit; sed usurpatur **ראשית** Genes. XXXIII. 2. **בראשונה** Ios. VIII. 6. Num. X. 13. 14. Deut. XIII. 10. Gen. XIII. 4. quae significant adverbialiter *primo*. Significatur ergo initium temporis sive durationis non huius vel illius sed indefinite omnis.

Iam vero vel significatur initium cuiusque durationis extra Deum, vel saltem initium durationis successivae cuiusmodi ea est quam modo obtinent res omnes materiales. Ratio cur duplicem durationem distinguamus ea est quia si supponatur materiam praexistisse ex qua Deus mundum fecerit, eius duratio aeterna fuisset alterius conditionis ac duratio rerum productarum a Deo. Atqui si significatur

initium cuiusque durationis extra Deum, significatur hoc ipso initium cuiusque rei durantis, et sic initium omnium operationum Dei ad extra, primumque opus Dei verbis Moysis exhibetur. Si autem significatur saltem initium durationis successivae, significatur eo ipso initium operationum Dei ad extra, primusque effectus Dei in ordine saltem materiali exhibetur; nam omnes huiusmodi effectus Dei talem obtinent durationem successivam. Atqui vel prior vel saltem haec altera significatio inest verbis *in principio*: priorem quidem non contendimus inesse; at certe haec altera inesse debet; ista enim duratio est proprie tempus, tempus inquam non solum quod Philosophi definiverunt, sed quod vulgo concipitur, successio scilicet perseverans phaenomenon visibilium. Cum ergo initium temporis a Moysse significetur, docemur nihil ante illud instans existisse ex operibus Dei, et idcirco haec describi primam divinam operationem ad extra.

Argumentum extrinsecum ducimus ex satis communi interpretatione Patrum; ex qua saltem suadet haec a Moysse sermonem haberi de primo termino operationis Dei ad extra; nam frequentes Patres vel data opera enarrantes hunc locum, vel ad illum provocantes sive cum fideles docent, sive cum speciatim haereticos impugnant, ita verba Moysi accipiunt ut ea interpretentur de prima origine rerum saltem materialium, de prima operatione Dei ad extra, ante quam nihil esset ab eo factum in ordine saltem materiali: huius vero demonstratio, ne eadem his repetamus, patebit ex iis quae dabimus in Th. seq.; ergo.

Ceterum qui absque ulla praeecepta opinione ad hunc scripturae locum accedit, sponte intelligit ibi de prima rerum saltem sensibilium origine esse sermonem; nec nisi propter quasdam difficultates a geologia suppedatas, quibus solvendis aptior, licet immerito (ut in 2. capite videbimus), visa est alia hypothesis, excogitata est hisce postremis temporibus ea interpretatio, qua affirmatur non primam effectiorem Dei describi a Moysse, sed eam quae post alias quidem effectiones rerumque mutationes successit, et qua mundus hic isto ordine quo existit constitutus tandem est.

Et sane si verum sit alios rerum ordines aliasque effectiones corporum, plantarum, animalium praecessisse eam operationem qua Deus dicitur fecisse caelum et terram, pronum erit cogitare quod et alii existierint homines ante illud instans; cur enim ipsi excludantur? sic Adam non fuerit primus homo a Deo creatus; id vero quam parum consonum sit cum divina revelatione nemo non sentit.

Hoc ergo posito, in Genesis I. 4. sermonem esse de prima Dei effectiione primoque effectu suae virtutis, (quod quidem ad maiorem evidentiam sequentis demonstrationis conducere potest; at necessaria

rium non est, cum termini medi demonstrationis sequentis sint ab eo independentes) demonstramus nunc ibidem tradi rerum productionem ex nihilo.

2. Argumentum demonstrativum duplex est, ductum tum ex phrasi *caelum et terram*, tum ex vi vocis ברא *z*). Quoad primum. Phrasis haec complexa *caelum et terra*, significat, ut iam probavimus, omnia, *caelum et terra mare et omnia quae in eis sunt*, ideoque astra, aere, plantas, animalia etc. Iam vero in 1. versiculo *caelum et terra* vel representant id quod formatum est, vel materiam informem ipsius; atqui non significat primum. Nam dicitur in vers. 2. quod terra creata adhuc erat informis תהו ובהו chaos indigestaque moles, haec enim verba hebraica vacuitatem, inanitatem confusionem, informitatem significant. LXX interpretantur ἀόρατος και ἀκατασκευαστος invisibilis et incomposita: Aquila κενος και ούλην inane et nihil; Theodotion κενος και ούλην inane et nihil; Symmachus ἀρηκτος και ἀδιαιρετον iners et indiscriminatum (cf. Ioannem Philoponum De Mundi Opificio L. II. c. 1. et Nyssenum in Hexaemer. n. 9). Targum vero Onkelosi reddit וריקניא צדיא desolata et vacua. Targum Ionathani צדיא ובהיאי צדיא informis, inanis, desolata; consentit Targum hierosolymitanum. Porro coniunctio ו (et, autem) repedito nomine terrae indicat aperle de eadem re ibi esse sermonem, quae est significata a termino immediate prius adhibito *terram*, ita ut vel eadem prorsus res sit utrobique significata, vel una in altera contenta. Hoc alterum addimus, quia certe amplitudo suppositionis vocis *terrae*, sicut etiam *caeli* alia est cum seorsim sumuntur, ac cum coniunguntur simul *caelum et terra*. Quaerentibus sane Manichaeis: « quomodo fecit Deus caelum et terram in principio, si iam et terra erat invisibilis et incomposita? » respondet Augustinus (de Genesi cont. Manichaeos I. c. 3.) « quid enim manifestius dici poterit quam hoc dictum est: in principio fecit Deus etc. idest: in principio fecit Deus caelum et terram, terra autem ipsa quam fecit Deus, invisibilis erat et incomposita, antequam Deus omnium rerum formas locis ac sedibus suis ordinata distinctione diserneret? » Igitur terra cum creata est, erat informis, chaos, indigesta moles. Praeterea plantae, animalia, homo deinceps facta describuntur: ad caelum quoque quod spectat, formatio firmamenti, quod appellatum est caelum, die secunda describitur. Igitur *caelum et terra*, sive *caelum et terra et mare et omnia quae in eis sunt*, non supponuntur in primo versiculo pro ipsis naturis iam formatis. Dices tamen terram informem esse quidem terram nondum ornatu suo sive pulchritudine vestitam, sed tamen iam in molem corporis planetarii coagmentatam, certa proinde forma

constantem; quam praecedere potuit proprie dictum chaos quod ante creationem fuerit. Verum haec interpretatio non cohaeret cum verbis Moysis. Nam adhuc terra erat commixta aquis (v. 9) atque ita ut reapse vorago abyssus omnia forent; תהו ובהו scilicet illud ipsum est quod dictum est immediate prius ובהו תהו idemque per terminum *aquas* repraesentatur. « Eandem ipsam materiam (ait Augustinus oper. cit. c. 70) aquam appellavit... Dictum est caelum et terra, quia inde futurum erat coelum et terra: dicta est terra invisibilis et incomposita, quia informis erat, et nulla specie cerni aut tractari poterat, etiamsi homo esset qui videret atque tractaret. Dicta est aqua, quia facilis et ductilis subiacebat operanti; sed sub his omnibus materia erat invisibilis et informis de qua Deus condidit mundum ». Et sane idem esse quod his terminis *terra inanis et vacua, abyssus, aquae* representatur patet ex eo quod immediate iuxta ponantur nulla operatione Dei res imminente memorata. Iam vero in voragine seu abisso apparet quidem chaos proprie dictum, sed nullam telluris iam formatae faciem videre licet. Quod vero de corpore telluris dicitur, idem et de ceteris corporibus, astris nimirum, censendum est, simul enim effectum est caelum et terra seu quidquid caelo et terra continetur. Quare effectio duorum luminarium maioris et minoris, ac stellarum die quarta peracta ponitur (v. 16-19). Terrae proinde formatio tunc censenda est describi cum congregatis aquis in unum locum iussa est apparere arida, et appellata est primum terra, quod die tertio peractum describitur (v. 9. seqq.). Ceterum si lux seu ignis ex combinatione elementorum ortus est (cf. Pianciani Cosmogonia etc.): antequam lux esset, nulla dicenda est existisse combinatio elementorum; existitisse porro si iam tellus fuisset formata; ergo abyssus, quae ante lucem existebat, non comprehendebat in se tellurem formatam. Quod haec dictum est, probari quoque potest argumento desumpto ex naturalibus scientiis. Sane tellus, qualis nunc citra ornatum quoque est, esse tunc non poterat; eius enim cortex tot reliquias animalium et vegetalium continet, quae tunc nondum erant: profunda vero ipsius calor obtinet qui cum luce originem habuit. Itaque vel dicendum quod inter id, quod peractum dicitur 1. versiculo, et id quod 2. versiculo repraesentatur, intercessit vicissitudo rerum ita ut coelum et terra secundum suam propriam naturam prius formata postea dissolverentur, et irent in chaos, ac sic illud tandem existeret quod versiculo 2. describitur; vel dicendum quod terra producta tum cum Deus fecit caelum et terram talis existebat qualis in versiculo 2. describitur. Atqui prior hypothesis primo est gratuita, eamque asserere non est scripturas interpretari sed divinare; explicatio enim formationis

posset S. Ephrem, qui in enarratione Genesis, recitato syriace primo versiculo Moysis, subdit: hoc est **מַמְלַכַּת** caeli, et **אֶרֶץ** terrae. Verum dubitare licet an S. Ephrem vocem eam in significatione substantiae usurpaverit, an potius essentiae (essentiam enim ipseitatem, personam haec vox significat). Ut enim ex toto contextu colligitur, videtur S. Pater arbitratus esse caelum et terram in sua propria forma ab initio exstitisse, ex nihilo utique creata. Ex dictis tamen concludi forte potest esse probabilem eam interpretationem qua verba haec **אֶרֶץ** וְ**הַשָּׁמַיִם** וְ**אֵת** accipiuntur ita ut significant *substantiam caeli et substantiam terrae*.

Quod vero ait Isaias XLV, 18. Deum creasse terram **לֹא-תְהוֶה** non vacuitatem, seu chaos (vulg. non in *vanum*), non contradicit Gen. 1. 2. ubi dicitur terra fuisse **תְּהוֹמָה**; vel enim adverbialiter ea phrasis cum vulgato accipitur, non in *vanum*; vel dicendum est spectare Isaias actionem finalem: scilicet non terram creavit Deus, ut esset tandem aliquid inane, aliquid chaos, sed ut formaretur; unde statim subiicit: *ut habitaretur formavit eam*: ut proinde sensus idem sit ac prior.

Restat tamen alia hypothesis excludenda. Nimirum haud arbitrari licet in primo versiculo epilogi instar tradi illud idem quod in posterioribus disertius explicatur, quodque est conformatio materiae praeexistentis, quae est opinio Petavii. Nam 1) in primo versiculo exhibetur productio omnium rerum (caelum et terra): in sequentibus vero de iis quae ad tellurem spectant data opera solum sermo est. Narratio enim aperitur cum descriptione status terrae, et quae ad ipsam pertinent secundum genera sua distincte describantur: mentio quidem fit in die, quarto formationis solis et lunae ac stellarum, sed nihil dicitur de iis quae specialiter spectent ad haec astra nisi quod lucere debent super terram ac praese diei ac nocti; ex quo patet quod a narratore astra spectata sunt tantum in relatione ad terram, et mentio eorum facta est ratione huius: ideoque solum de terrae formatione data opera institutus est sermo. Atqui si primus versus epilogus esset subsequens narrationis, subsequens haec narratio deberet esse explicatio illius epilogi; et quia in epilogo caeli non secus ac terrae mentio fit, h. e. omnium rerum directe productio enunciat, pariter in explicatione oporteret data opera omnium formationem describi. 2. Si epilogus est subsequendum primus versus, nequit ratio sufficiens reddi cur rarissime occurrat in sequenti narratione vox adhibita in primo versu, nempe **בְּרָא**; at reddi certe ratio potest, si ille primus versus non est epilogus, sed aliquid aliud a sequentibus seorsim significat. Nam in priore hypothesis pronum erat eodem verbo uti in sequentibus quod usurpatum est in epi-

logo praemisso; quoniam eadem res agebatur ipsaque huius vocis usurpatio prius facta sponte inducebat scriptorem ad usum eiusdem verbi in sequentibus. Occurrit quidem ibi identidem, sed tunc cum eius occursum ratio reddi potest, si in primo versiculo aliquid aliud quam formatio rerum significatur; nam adhibetur cum terminus divinae operationis non est simplex formatio: at si in primo versiculo **בְּרָא** adhibetur ad significandam formationem rerum, cur, omissa generatim eius usu in sequentibus, solum rursus adhibetur cum de operatione sermo est quae non est simplex formatio? At si aliquid aliud in primo versiculo ac in sequentibus significatur, ratio huius rei facillime reddi potest: fac enim ibi significari creationem, intelliges statim cur tantummodo rursus usurpetur, cum de effectione alicuius rei ex nihilo sermo est: ergo.

β) Ad vim verbi **בְּרָא** quod atinet, monemus a) spectari a nobis illius usum in forma Kal, eiusque passiva Niphal. Reicimus autem eos qui contendunt significationem propriam huius verbi in forma Kal colligendam esse ex eiusdem significatione in forma Piel, in qua significat *effinxit, polivit*; ita ut Kal sit *secuit, secundo effinxit, fecit*. Nam 1) norma princeps pro genuina vocabulorum significatione cognoscenda est semper usus: 2) ea regula adhiberi solet cum significatio Kal est metaphorica, quia cum Piel sit frequenter intensivum, difficilius sumitur figurate, ideoque propriam significationem verbi etiam in forma Kal aperit: 3) non raro contingit ut significatio Piel sit contraria significationi Kal, ut **הִטָּא** peccavit, **הִטָּא** peccatum luit. Reiciendi sunt quoque et illi qui ad vim verbi **בְּרָא** dignoscendam comparisonem instituunt cum quibusdam vocibus linguarum occidentalium, cuiusmodi sunt *parie, fero*, ac cum desinentia *bar* in pluribus adiectivis germanicis ut *fruchtbar* et huiusmodi, qua vis quaedam et potestas significatur illud faciendi quod nomen adiectivum significat, eiusdemque linguae verbum *gebären* quod est generare etc. Nam dato etiam (quod quidem quis poterit demonstrare?) quod eadem sit origo horum omnium terminorum cum verbo **בְּרָא**; quoniam inter gentes creationis notitia oblitterata est, quid mirum si illi termini primitiva significatione amissa illam inderunt quae cum ideis attentionis eius linguis congrueret? Ceterum, ut iam monuimus, deest in hisce argumentis certitudo illius quod supponitur nempe identitatis originis et non nisi coniecturis esse potest locus, quibus haud raro potius falsum quam verum assequuntur homines, quaeque demonstrationibus ex propriis rei fontibus petitis cedere prorsus debent. Nonnisi vero propter aliquam distractionem mentis provocari his diebus potuit ad vocabulum **בְּרָא** filius, ac si derivaretur a **בְּרָא**, cum iam fuerit a doctis viris animadversum ex

indole linguae hebraicae illud non a ברא sed a ברה deducendum esse.

His praemisissis ut demonstrationem instituanus, opportunum erit advertere cuiusmodi sint argumenta quibus uti nos licet ad efficiendum quod verbo ברא in I. 4. Gen. subest notio productionis ex nihilo. Nam ut ingenue id quod est fateamur, et ne abutamar quorundam lectorum minus peritorum fide, advertimus nobis deesse praecipua argumenta, quibus alienius vocabuli extinctae linguae significatio determinari solet. Huiusmodi enim est primum exigentia immediati contextus, a quo talis significatio vocabuli exigitur ut nisi ea admittatur, nullus sensus ex contextu prodeat. Atqui licet in hoc contextu immediato: In principio ברא Deus caelum et terram, verbum illud sumas in notione generica fecit, nequit dici nullum sensum ex hoc contextu prodire. Alterum argumentum est translatio interpretum qui linguam textus noverant; at ii vel eodem verbo utuntur, ut generatim orientales, vel cum graecis vertunt *ἐποίησεν*, ex quo licet nequeat colligi negatum esse vel non agnitam ibi doctrinam creationis, nam carebant graeci verbo proprio ad eam significandam, poterantque proinde uti vocabulo generico pro specifico, tamen neque extendere potes sensum determinatum productionis ex nihilo. Itaque talibus argumentis uti non licet. Nihilominus contendimus alios esse fontes unde propria huius verbi ברא significatio hauriri potest, iique sunt quos in sequente demonstratione proferimus; arbitramur autem eam ex his confici persuasionem quae sola in huiusmodi inquisitionibus postulari potest, licet forte eadem nequeat dici metaphysica.

Itaque haec singillatim considerentur. α) Verbum ברא licet plusquam quadragies occurrat, nunquam tamen construitur cum termino *ex quo* aliquid fiat, secus ac contingat in usu verborum יצר *עשה*. Discrimen hoc, speciminis gratia, ob oculos ponit Moyses Gen. I, 27. et II. 7. Altero enim in loco productio hominis secundum duplicem partem suam describitur, animae et materiae proximae, quae de pulvere facta est, verbumque יצר adhibetur: et *formavit* (ויצר) *Deus hominem de limo terrae עפר כן-האדמה* pulverem de terra: pulvis est terminus ex quo homo formatus est. In priore vero loco productio hominis non distincta per partes describitur, sed solius obiecti, quod productum est, fit mentio; verbumque ברא usurpatur, et creavit (יברא) Deus hominem. In utroque loco eadem res describitur, diverso tamen modo. Negari porro nequit quod si ברא significationem haberet productionis ex aliquo, potuisset Moyses etiam primo loco terminum *ex quo* apponere, dici enim merito potest factum esse hominem ex pulvere terrae. Itaque constans hic usus

verbi ברא ut nunquam cum termino *ex quo* construat, etiam cum obiectum eius ratione alienius partis aliquo factum est, satis nos docet ipsum habere significationem propriam et distinctam ab aliis duobus supra memoratis. Quaeenam vero haec? ea certe quae huic usui respondeat, quo nempe nunquam cum termino *ex quo* construitur; haec porro est ut productionem rei significet ex nullo subiecto. Ergo.

β) Quemadmodum certum est construi ipsum cum obiecto quod est substantia, ita pariter certum est nunquam ipsum usurpari pro operatione pure modali (cuius nempe terminus sit solum modus) in ordine naturali; sed licet adhibeatur pro significanda operatione in ordine naturali, cuius effectus est etiam modus materiae, tamen ea operatio complectitur quoque, et quidem praecipue, productionem alicuius rei ex nihilo. Prima pars evidens est, si haec loca conferantur Gen. II, 4; Psal. CXLVIII, 5; Malach. II, 10; Isai. XL, 26; XLII, 5; Eccle. XII, 1. Altera pars liquet conferenti omnia loca, ubi ברא occurrit, liquebit magis ex solutione quarundam difficultatum. Nunc expedienda duplex difficultas, quae ducitur ex Gen. I, 24. et 27. Primo enim loco reptilia aqurum, et volatilia dicuntur primum produci ab aquis, tum dicitur Deus ea creare: Prodeant aquae reptile animae viventis, et volatile super terram sub firmamento caeli: creavitque יברא Deus cetera grandia etc. porro haec ex nihilo facta non sunt. Itaque advertendum 1) est id quod vulgatus v. 20 *veritit producant*, hebraice esse ישרצו h. e. reptent, scilicet *scateant* aquae reptilibus, quo loquendi modo significatur locus in quo magna copia eorum sit. Quoad volatilia vero, eorum origo non tribuitur aquis in textu hebraico; sequitur enim: et *avis volet super terram contra firmamentum caeli*. Nimirum locus utrorumque designatur. Versu quidem 24. *producat terra animam viventem*, hebr. *תבא הארץ חיה* educat, exire faciat terra *במש חיה* animam viventem: qua phrasi totum vivens significatur. Cf. c. II. 7. Porro verissime dicitur eductum ex terra animal, eo quod materiam ipsius suppeditavit terra; huiusque originis iure mentio fit ut intelligatur naturam animalium ordine materiali contineri; nam et anima eorum nonnisi materialia attingit, et in materialibus occupatur. Iam vero 2) etsi horum materia iam existeret, attamen principium vitae, quod est anima, non est modus materiae, sed substantia, 1) quae ex nihilo creanda est; cum

(1) Veteres quidem communiter consueverunt animam bestiarum ex materia productam. Basilius, qui inter graecos instar omnium est, ita disserit hom. VIII in hexaem. n. 2. « *Prodeat terra animam viventem. Cur producat terra animam viventem? ut quid inter animam peccidis et Palmieri, De Deo Creato et Elevante* »

ergo haec substantia fuerit a Deo creata, eorum animalium productio non fuit pura modificatio materiae; et ratione creationis principii viventis, productio eorum potuit dici simpliciter creatio, est enim actio, quae aliquid ex nihilo producit. Non enim tantum Deus materiam et formam univit, sed simul formam produxit ex nihilo. Anima autem est praecipua pars animalis. Cur ergo idem non iteratur verbum cum v. 25. sermo occurrit de productione a Deo facta animalium terrestrium; sed dicitur: et feci Deus etc. **ויוצאתי**. Ratio probabilis est, quod semel demonstrata origine principii viventis belluarum, pronum esset omnibus asserere quod de uno genere eoque inferiore dictum erat: verbum vero **עשה** ulpote significationis genericae poterat ex contextu trahi ad significandam specificam creationem.

Quoad alterum locum alia par occurrit difficultas, quia homo dicitur creatus, diciturque Deus creasse masculum et feminam; homo autem non fuit factus ex nihilo sed ex limo terrae; femina autem ex costa viri, multoque minus distinctio sexuum est actio ex nihilo ef-

animam hominis intersit discas. Quomodo anima hominis formata sit paulo post scies; nunc vero de brutorum anima audi. Cum iuxta id quod scriptum est (Levit. XVII. 14) animalis cuiusque anima sanguis ipsius sit, sanguis autem concretus solet in carnem transmutari, caro vero corrupta in terram resolvatur, iure ac merito est quid terrenum anima brutorum. Animae vide affinitatem cum sanguine, sanguinis cum carne, carnis cum tellure, et rursus ordine inverso per eadem regredere a terra ad carnem, a carne ad sanguinem, a sanguine ad animam et pecorum animam terram esse comperis. Item Theodoretus Cur. graec. affect. serm. IV. « ex non extantibus animas creat, non cunctorum animantium, sed hominis dumtaxat ». Verum non est opus ut accipiamus sententiam hanc tanquam traditam nobis a Patribus ex fonte revelationis; sed philosophica fuit opinio non secus ac plures aliae quas in hexaemere explicando Patres iidem producent. Hanc quidem philosophicam opinionem confirmare se posse censebant verbis Leviticis: *anima omnis carnis in sanguine est*, vel ut expressius ait textus originalis: *sanguis eius est*: sed quia arbitrari non licet Patres censuisse animam reapse esse sanguinem idque a Scripturis tradi, hinc ea provocatio ad Scripturas eo spectasse dicenda est ut probarent, quemadmodum ait Basilius, affinitatem animae belluinae cum sanguine, quatenus ab hoc pendet eius vita, eoque deficiente ipsa desinit: quod autem ipsa anima ex terra sit, id secundum opinionem philosophicam tenebant, quam poterant quidem censere doctrinae Scripturae esse conformem, sed quae tamen non sequitur ex his quae Scriptura docet. Excellentia vero animae hominis prae belluina non in eo est quod sit creata; cum etiam materia sit creata, et tamen tanto inferior sit animae hominis, sed in eo quod creata sit ad imaginem et similitudinem Dei, ut ipsi Patres deinceps docent.

ficiens. Verum manifestum est quod anima hominis, viri et feminae, cum substantia sit, hominisque praecipua pars, fuit producta ex nihilo: in productione ergo utriusque vera intercessit actio creativa; non fuit igitur hoc opus modificatio tantum materiae. Quamvis vero productio utriusque sub diverso sexu reduplicative accepta non sit productio ex nihilo, tamen eadem productio utriusque dicitur merito creatio, quia complectitur veram creationem, h. e. productionem animae ex nihilo; idque optimo consilio significatum est a Moysse, ne quis putaret mulierem quoad essentiam suam esse inferioris conditionis ac est vir, animamque eius non esse ex nihilo productam, seu non esse substantiam. Itaque ea verba: *masculum et feminam creavit eos*, non significant tantum distinctionem sexus, sed productionem utriusque secundum sexum distincti; quae productio, cum contineat effectiorem ex nihilo, unaque actione factum sit totum, nempe tum vir, tum femina, scilicet non alia actione nterque factus est et alia distinctus sexus fuit; creatio iure dicitur, licet effectus eius productionis sit etiam modus, h. e. creata est res cum certo modo.

γ) Praesupponendum est ad ordinem supernaturalem pertinere prodigia, vaticiniorum complementa, regenerationem et sanctificationem: ad haec porro paranda dominium rerum et potestas requiritur quae sint infinita, illud nempe dominium illaque potestas quae propria est creationis. Quare pro huiusmodi effectuum operatione significanda merito usurpatur vox creationem significans; habetur enim actio independens a subiecto. Iam vero pro hac operatione significanda non infrequenter usurpatur **ברא**. Ita quoad prodigia Exod. XXXIV. 10. faciam signa quae nunquam sunt visa **לא נבראו** Isai. LXX. 17. 18. Ecce ego creo **ברא** caelos novos et terram novam; et non erunt in memoria priora, et non ascendent super cor. Sed gaudebitis et exultabitis usque in sempiternum in his, quae ego creo **ברא**; quia ecce ego creo **ברא** Ierusalem exultationem, et populum eius gaudium. Ierem. XXXI. 22 Creavit **ברא** Dominus novum super terram, femina circumdabit virum. Num. XVI. 30. Sin autem rem novam fecerit **ברא** **בריאה** Dominus, ut aperiens terra os suum deglutiat eos... scietis quod blasphemaverint Dominum. Isai. IV. 5. Et creabit **וברא** Dominus super omnem locum montis Sion et ubi invocatus est, nubem per diem et famum et splendorem ignis flammantis in nocte: super omnem enim gloriam protectio.

Quoad vaticiniorum complementa, Isai. XLVIII. 6. 7. Audita feci tibi nova ex tunc... nunc creata sunt **נבראו** et non ex tunc. LVII. 49. Creavi **ברא** fructum laborum (quod promisi efficio) pacem.

Quoad regenerationem et sanctificationem, Psal. LI. 12. Cor mundum crea **ברא** in me Deus: Psal. CII. 49. Populus, qui creabitur, lau-